

℣. Fiat pax in virtute tua. ℞. Et abundantia in turribus tuis.

Orémus.

Oratio.

**D**EUS, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem : ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia seculorum. ℞. Amen.

Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Benedicamus Domino. ℞. Deo gratias.

℣. Ave Maria gratia plena : Dominus tecum. ℞. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus.

✠ Prædicto modo fit Officium quotidianum beatæ Mariæ Virginis in Vesperis per totum annum, exceptis quæ sequuntur.

IN ADVENTU.

Ad Magnificat Antiphona. O Virgo virginum, quomodo fiet istud? quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Filia Jerusalem quid me admiramini? Divinum est mysterium hoc quod cernitis.

Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Oratio.

**D**EUS, qui de beatæ Mariæ Virginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis ut, qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

AB OCTAVA EPIPHANIE USQUE AD FESTUM PURIFICATIONIS.

Ad Magnificat Antiphona. O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de